Responsum

Sigismundus III Dei gratia Rex Poloniae,
Magnus Dux Lithuaniae, Russiae, Prussiae, Samogitiae,
nec non Suecorum etc. etc. haereditarius Rex, Illmo Principi
Dno Johanni Sigismundo Marchioni Brandenburgensi
S.R.J. Electori et Archicamerario, in Prussia, Stetini,
Pomeraniae etc. etc. Cognato et affini nro charissimo
salutem ac omne bonum. Illme Princeps Cognate
et affinis nr charissime. Illmi Principis Electoris
Illtis V. parentis obitus magnum nobis dolorem attulit,
amisimus enim amicum et consanguineum, nostrique
studiosum Principem, cuius perpetuum de nobis
in Republ. bene merendi studium, gratamque volun-
tatem satis cognitum et exploratum habebamus,
et nostram erga eum benevolentiam non vulgaribus
cumulatam argumentis testatam reddideramus.
Ac ille quidem legibus naturae quibus huius
vitae usuram accepit, satisfecit, nobis vero
communem eam mortalitatis conditionem re-
putantibus non alia suppetunt solatia, nisi recor-
datio virtutum ipsius, vita praeclare acta immor-
talem sui memoriam in animo hominum reliquit.
Caeterum illa quae nobis charum iucundumque
reddiderant, deinceps nobis expectanda sunt
ab Illte Vra, quam uti paternae virtutum
et dignitatis heredem iisdem vestigiis inhaesuram
et in colenda nra amicitia cum officiosa suae
erga nos benevolentiae testificatione perseveraturam
nobis persuademus. Nos quidem eo sumus
animo, ut quae ab amico et Illmae Domus
Brandenburgicae benevolo Rege expectari possunt
amicae voluntatis significationis, iis cumulate
inprimis Illti Vrae respondeamus. Caeterum

ad ea quae de successione in feudum tam ex Curatela
Illris qm Principis Prussiae, quae morte Illri Prin-
cipis extincta est, ad nos perscribit, nos pro
Iure ac consuetudine Regni istius, re cum
pleniori Senatu communicata Illti Vrae amice
respondebimus. Quod reliquum est Illti Vrae
diuturnam valetudinem foeliciaque rerum successus
exoptamus. Datum Cracoviae die 24 mensis Augusti
Ao 1608. Regnorum nostrorum Poloniae 21. Sueciae 15.

Sigismundus Rex